SCIPII GENTILIS

IN XXV. DAVIDIS PSALMOS

EPICÆ PARAPHRASES.

BODLEIANA LIBRARY

LONDINI

Apud Iohannem Wolfium.

1584.

PSALMORVM, IN QVOS PARAphrases scriptę sunt, Index.

Psalmi. 8. Domine dominus noster.
11. Domino confido, quid.
18. Diligam te domine.
20. Exaudiat te dominus.
46. Deus noster refugium.
48. Magnus dominus et.
50. Deus deorum dominus.
61. Exaudi Deus deprecation.
65. Vt quid Deus repulisti.
74. Te manet hymnus Deus.
75. Confitebimur tibi.
84. Quam dilecta tabernacula.
87. Fundamenta eius in monti.
93. Dominus regnauit.
102. Domine exaudi oration.
104. Benedic anima mea.
106. Confitemini domino.
113. Laudate serui.
114. Cum exiret Israel.
118. Confitemini domino quon.
126. Cum conuerteret.
133: Ecce quam bonum, et.
137. Iuxtà flumina Babilonis.
157. Laudate dominum, quoniam.
148. Laudate dominum de cœlis.

BIBLIOTH. C. A. P. S. ELIA

PHILIPPO SIDNEIO VIRO GENERE AC VIRTVTE *PERILLVSTRI*

SCIPIVS GENTILIS *S. P. D.*

ANni, opinor, abiere tres, ex quo paraphrasim in aliquot Dauidis psalmos a me versibus cõscriptã tibi dicaui, pueritiæ præfatus immaturos fructus eam esse meæ: hoc tamen cõsilio æditam, vt, cum ingenio, iudicioque paulũ adoleuissem, eam vel maiori cura excolerem, vel certè refingerem, atque ita ad reliquorum scribendam paraphrasim porrò pergerem. Sed cõsilium hoc meum in ipso quasi cursu impediuere quorundã obiectæ sententiæ, quas ego neque propter egregiam ipsorũ doctrinam leues ducere, neque ob propensam in me voluntatẽ aspernari poteram. Alij enim tres sum-

mos poëtas mihi ob oculos ponebãt, quos ita versatos in hoc opere sciebam esse, quoduis vt præclarum ingenium deterrere a scribendo possent, ne dũ meum. Alijs delectum à me versuum genus, heroicorum videlicet, improbabatur. quidam a rebus sacris ad prophanas, & in quibus enitescere stylus poëticus quiret, animum meum hortando auocabant. Itaque horum virorum pæne fractus authoritate destiteram, omniaque alia cogitabam. Sed incidit postea in manus meas M. Antonij Flaminij viri sanctissimi, & poetarum suo illo aureo sæculo principis, ad Alexandrũ Farnesium missa epistola: in qua se contra nonnullorũ opinionem in præstãtissimis poëtis Dauidem numerare solitum scribit. Recreaui ipse tum me tanti sententia viri, cæpíque num ea vera esset, experiri, adhibitis eius aliorũque poetarum versionibus. Dicam liberè, quod sentio & dicam breuissime. tantum mihi Dauid ceteris præstare prophanis poetis dicendi artificio visus est quantum diuina humanis, Dauidis spiritus verè sacer fictis reliquorum poetarum afflatibus ãtecellerent. Resumpsi itaque opus, quod abieceram de manibus, & delegi mihi psalmos ex vniverso libro saltuatim, quos per otiũ, & cum fere animus a grauioribus studiis interquiesceret, latinis versibus illustrarem: vt heroicis, extorsit id a me natura, & consuetudo mea, neque tamen auersa a ratione.

Eorum

Eorũ enim ſententię non accedo, qui pſalmis hoc genus carminum conuenire non putant. Alioqui erraſſe dicendi eſſent Homerus, atque Orpheus, & ſiqui alij ſolos exhametros ad hymnos Deorum adhibuerunt. At uerò non excludunt fortaſſe ii ab hoc opere verſus heroicos, ſed perpetuos improbãt. Si, vt numerorum varietas legentium leuet moleſtiam, aſſentior: ideoque pauculos pſalmos ipſe cõuerti. Sin, quia nõ omnes concinne explicari hoc verſu putant poſſe: falluntur, neque vltra eis aſſentior. Nullũ eſt enim aliud pręter hoc verſuum gẽus in quo omnia pęne argumenta commõde includi poſſint: vt epicorum opera poetarum ſatis declarant. et Ariſtoteles metrum hoc ὁρικοθλέσατον vocat, atque ab ipſis initiis conueniſſe epopoiæ exiſtimat, quòd plurimæ in ea, diuerſiſsimæque partes ad finem vnà perducuntur. Sane ego, cum omnis ferme generis pſalmos expreſſerim, non huius me magis, quàm illius ſenſi ab argumento adiutum. Sed hæc omitti fortaſſe ſiue excuſatio, ſiue defenſio poterat, in tanta præſertim pſalmorum paucitate & inopia mea. Illud magis verendum arbitror, ne mihi vel imprudentiæ, vel arogantiæ vitio vertatur, idem opus cũ Flaminijs, Buchanãis, Bezis tractare auſo: cum his verò etiam eoſdẽ, quos ipſi exhametris optimis expreſſerãt, nõ quidẽ ſæpe, ſed tamẽ nimis ſæpe pſalmos. Ego vero neque quic

quam mihi ſoleo tribuere, & magnos viros in omni re imitãdos duco, non tã contendẽdi cum eis ſtudio, niſi quatenus imitatorem deceat, quã ipſorũ exprimẽdæ virtutis. Hoc certe enim ipſum laude dignũ eſt, vbi etiam vires te, euentusque deſtituãt: et magno ſub hoſte cadere, ſemper fuit non ſolum magnæ laudi, ſed etiam virtuti tributum. Itaque ſi Beza, Beza, inquam, quãdo ſiue Buchananus ſiue alius quiſpiam luminibus officiat ſuis, conſolaturũ ſe egregia illa Maronis ſentẽtia ait, *Æneæ magni dextra cadis*, cur nõ ego cuiuſdam mihi gloriæ loco duxerim ſic vinci, *Infœlix puer, atque impar congreſſus Achilli?* Præterea quis poterit tam iniquus eſſe mihi, qui me hæc in lucem ędere reprehẽdat, cum diuinum hoc opus a tam multis tam fæde tractari tacitus ferat? Magna profectò, magna cũ in omnium authorum ſcriptis in aliam linguam transferendis adhibenda cautio eſt, tum in pſalmis carmine illuſtrandis præcipue. in quibus illa præter alias ineſt ſũma difficultas, quòd partes partibus non ita mutuò ſemper reſpondent, vt hoc ex illo pendere atque aptũ eſſe veriſimili aliqua, vel neceſſaria ratione videatur. Atqui iſta, veriſimile inquã, et neceſſarium, duo ſunt (Ariſtotelis teſtimonio) poeſeos omnis ipſa vincula. qua in re, atque in hoc opere, vbi vniuſcuiuſque pſalmi partes verſiculis, numeriſque diſſepiuntur, ſępe video peccatum. E-

quidem

dem & hoc conatus ſum (an effecerim, alij iudicẽt) ſed conatus certe ſum, vt prima medijs, media vlti mis nexu quodam neceſſario cohærerent: & vt grauitatem aliquam cum venuſtate coniunctam verſibus meis conciliarem: quas virtutes carminis duas non argumentum licet venuſtum & graue, nec verborum licet ſplendidiſſimorum apparatus quaſi ſupellex, efficiant: ſed apta, apta inquam cõ poſitio, & Horatij illa, quam vocat, ſeries, atque iunctura. Eam verò vulgus eorum, qui verſus ſcri-ptitant, non magis intelligere mihi videntur, quã piratæ illi Cilices, quos ideo C. Cæſar ipſorũ cap-tiuus rudes ac barbaros vocabat, quod nihil ſuo-rum recitatione poëmatum, nihil orationum affi-ciebantur. Denique, vt ingenue fatear, id me mag-nopere ad iſtarum editionẽ Paraphraſeon impu-lit, quod ridiculum mihi videbatur, ſi, cum aborti uum illum fætum pueritiæ meę (quẽ necare Socra-tis prȩcepto debueram) in lucẽ protulerim, hunc adoleſcentiæ partum ſi non forma prorſus elegãti, at forma tamen præditum tenebris ſituque confi-cerem. Quinimo aliquid ſperare me de eius vita iubet, quòd priores illos pſalmos meos nonnullis eruditiſſimis viris probatos fuiſſe cum Gallis, cum Italis intellexi, ab veſtro verò acutiſſimo, eodem-que humaniſſimo Ioanne Hunderillo etiam lau-datos. Sed qualeſcunq; & iſti ſunt, tui, Philippe

Sidnei, ſunt: tibi olim deſponſi, nunc exoluti, poëtarum amatori clariſſimo, & poetæ ipſi longe optimo. Admirentur enim alij in te ſummũ generis ſplendorem, in puero ingeniũ omnis philoſophiæ capax, in adoleſcente ſplendidiſſimã ad Cęſarem obitam pro Regina Ser.ma legationẽ, in iuuene tot regionum viſas vrbes, viſos mores, & linguarum tot parta ornamenta, in viro denique magnificentiſſima ædita ſpectacula, operáque equeſtria: omnia hæc inquam, cæterasque animi virtutes ac corporis tuas alij admirẽtur. ego te, quod poeſim ita amplecteris, vt in ea excelleas, non admiror ſolum, ſed etiam diligo, venerorque.

neque vllum vnquã tempus meis, quantum erit ſitum in me, officijs ornãdi tui prætermittam.

Vale.

LONDINI. Kalendis Septembribus.

SCIPII GENTILIS
IN XXV. DAVIDIS PSALMOS
Epicæ paraphraſes.

PARAPHRASIS
Pſalmi VIII. Domine Dominus noſter quam admirabile.

SVmme parens rerum, & populi rex inclyte noſtri,
Vt tua per magnas terrarum dicta gentes
Clareſcit fama, atque animos impellit hiantes!
Vt ſuper ætherea mundi ſedet arce coruſcans
Ille decor tuus! en molli tua numina lingua
Infantes, en lacte tuas rorantia laudes
Ora canunt. laudes, ſtygij quibus arma tyranni
Frangis, & humano ſudantem ſanguine dextram.
Verùm ego dum ſtellis laqueata palatia cœli
(Clarum opus, et manuum monumẽtum inſigne tuarum)
Per noctem liquidam cerno, puróque nitentem
Lunam auro, & trepidos aſtrorum conſpicor ignes:
Ecquid homo eſt (mecum admirans, tacituſque reuoluo)
Mente ipſum vt memori teneas! illius vt imam

Viſere

Viſere progeniem cœlo digneris ab alto!
Hunc forma æqualem ſuperis, animoque creaſti
Pæne Deis, cui ſancta decor, cui more coronæ
Tempora præcingens aduelat gloria: & eidem,
Quæ tua dextra potens ac rerum dædala finxit,
Omnia ſub pedibus domino vertenda locaſti.
Huic niueæ paſcuntur oues, & frondea tauri
Huic iuga ſiluarum tondent, hunc ſæua ferarum
Sæcla timent, celerique imbelles corpore cerui.
Hunc volucres pennis tranantes aëra norunt,
Squamigerique greges pecudum, qui dulcia nando
Stagna ſecant, quique arua ſalis liquentia verrunt.
Summe parens rerum, & populi rex inclyte noſtri,
Vt tua per magnas terrarum dicta gentes
Clareſcit fama, atque animos impellit hiantes!

PARAPHRASIS
Pſalmi XI. Domino confido, quomodo.

OMnis in ætherium patrem quum nixa recumbat
Spes ac cura mihi: quid dicitis, auia curſu
Luſtra pete, & tacito nemorum te conde receſſu?
Sicut auis, ſiluia accipiter cui lapſus ab æthra
Vnguibus ac roſtro pauidæ ferus imminet vnco.
Namque (vides?) arcum intendit, neruoque ſagittam
Admouet adducto lethalem barbarus, vt te

Insontem specuum nigris mox sauciet vmbris.
Cerno equidem: sed nulla meum formidinis aura
Cor mouet. ecquid enim merui? iam iam hostis iniqui
Spes ruet, extremamque trahet collapsa ruinam.
Namque deus, deus, arcani sacraria templi
Qui colit, et solio stellarum considet aureo,
Omnia luminibus præsens perlustrat acutis.
Ille pios duris explorat casibus, aurum
Dextera ceù calidis signorum dædala flammis:
Non tamen hostili patitur succumbere telo.
At sontes, animique feros exosus, in ipsos
Desuper horrifici pateram vi turbinis actam
Ignibus & glauco candentem sulphure fundet.
Hæc illos scelerum merces, hæc meta moratur.
Contra autem iustos homines iustissimus ipse
Diligit, atque oculis semper Deus aspicit æquis.

PARAPHRASIS

Psalmi XVIII. Diligam te Domine fortitudo mea.

O Pater armipotens, valido qui robore pectus,
Quique nova virtute animum trepido imbuis, ò et
Ferrea, præruptoque sedens in vertice turris:
O nostræ via certa fugæ, solumque salutis
Præsidium, solum clypei munimen aheni:

O rupes,

O rupes, fessisque patens in rebus asylum,
Semper amore meo, semper celebrabere cultu.
Te laudans etenim, & pacis pia munera poscens
Hostiles subitò vultus, atque horrida tela
Circumfusa meo dilabi lumine cerno.
Iam dolor in laqueos fati me dirus acerbi
Induerat, torrentis aquæ iam more furentum
In me acies hominum irruerant, nodóque premebar
Funereo, lethique vias limenque videbam.
Talibus oppressus dominum super alta vocaui
Sidera, & ætherias impleui questibus oras.
Ille alta de sede mihi, quâ lucida mundi
Templa regit, voluitque tuens, extrema querenti
Annuit, & faciles sonitum demisit in aures.
Tum verò ingenti tellus commota pauore
Intremuit, celsosque sua de sede parauit
Tacta Dei magno moliri numine montes.
Ipse sed vndantem fumo de naribus auram
Efflabat, rapidosque ignes ex ore vomebat,
Accensas liquido iaculatus in aëre prunas.
Ipse domos superûm immotas, arcesque micantes
Flexit, & ipse pedes nimbo subtexuit atro:
Vt terram prono peteret cœlo. hîc quoque currum
Insiluit, quem sidereæ comes igneus aulæ
Sustinet, ac venti pennarum præpete portant
Remigio: septusque caua caligine campos
Aëris enauit longè liquentis, & olli
Affudit nigra glomeratas nube procellas.

At vero vt domini ſplendens apparuit ardor:
Ceſſerunt trepidæ nubes, ſtrauitque iacentem
Grandinis imber humum, flammiſque volantibus æther
Emicuit. tum diuino uox excidit ore,
Omnipotens uox, & crebris comitata ſagittis,
Fulguribuſque vagis inimicum diffidit agmen.
Tunc etiam immenſi penitus ſtagna alta profundi
Concuſſis patuere vadis, & cæca recluſit
Fundamenta ſolo tellus, atriſque cauernis
Labentes vaſto fluuios patefecit hiatu.
Tantus erat furor, & diuini ſpiritus oris.
Is me de ſummo protendens æthere dextram
Arripuit, lethique vadis bonus extulit imis:
Fidentemque procul falcatis curribus hoſtem
Auertit: fregit vires, odia aſpera fregit
Vndique me telis ſectantum, ac voce prementum.
Iamque aderat mihi ſera dies, quum fraude doliſque
Me miſerum capere, ac vinclis arcere parabant.
Ille dolos & vincla manu diſiecit, & arctis
Eductum latebris, longaque ambage viarum
Ingenti ſtatuit campo: placiduſque libenſque
Ipſe ſuos inter me primum adlegit amicos.
Quippe meas non cæde manus, non crimine mentem
Obſeruans vllo pollutas tempore vidit,
Degreſſaſue ſuo legum de limite plantas.
Verùm ego luminibus ſanctum, caligine pulſa,
Aſſiduis rimabar iter, pedibuſque ſequebar
Preſſa ſolo fixis veterum veſtigia vatum.

Ipſe Dei hærebam lateri, dulcique fruebar
Alloquio: vultuque eius defixus in vno
Turpia non oculis, non fraudes auribus hauſi.
Hinc pater ætherius puræ tot præmia vitæ
Reddidit, & claræ indulſit mihi lucis honorem.
Tu mores hominum varios, animoſque ſequaces
Refers cuique ſuos. facilis te ſentit, et inſons
Inſontem & facilem: fallaceſque æmulus hoſtes
Fallis, & exitio crudeles mergis acerbo.
Hinc tumidos oculi faſtus ſubmittis, & alta
Afflictamque, humilemque vehis ſuper æthera plebem.
Tu me, tu vulgi in tenebris, cœnoque volutum
Stellanti in ſolio, claraque in luce locaſti.
Te validas vno fregi ductore phalanges,
Ærea cùm increpuit campis tuba: teque magiſtro
Aduerſos didici ſaltu tranſmittere muros.
Ipſe tuam ſine labe mihi, ſine ſentibus vllis
Oſtendis, pater almè, viam. tibi puriús auro
Verba fluunt: auro, ſenis quod callida flammis
Dextra coquit, colloúe decus capitiúe laborans.
Atque idem clypeo cunctos miſeratus amico
Protegis in te vno fretos, & ſubtrahis hoſti.
O fictum quos terret ebur, carieúe pereſa
Robora, vel ducti Pario de marmore vultus:
Ecquis ab hoc dominus mundi in regionibus alter
Imperio terras, & candida ſidera verſat?
Aut quis cuncta ſuo torquet ſub numine bella?
Hic deus, hic eſt, qui valido me robore cingit

Omnipotens, puróque facit vestigia niti
Nostra loco, & celeres præuertere flammea ceruos:
Meque sub aëria victorem rupe locauit.
Ille meam pugnis aptam gerere ardua bello
Tela manum dedit erudiens. vnde æreus arcus,
Aereus in sulua splendet mihi fractus arena.
Sed nullus vitæ nostris in viribus vsus,
Nulla salus foret: ille pio ni corpora scuto
Protegeret, tacitisque meos per mollia riuis
Prata pedes regeret, cæcaque e fraude locorum
Duceret, & solido sineret succedere campo.
Illius auspicio fugientes arduus hostes
Insequor, & iam iam teneo: nec vertere retrò
Terga iuuat prius, infesto quàm calce peremptos
Procubuisse solo videam, ne surgere verso
Me valeant, rursumque acies, rursum arma lacessant.
Ille mihi (trepido pacem turbante tumultu)
Præsentes animos, viresque in bella ministrat
Armipotens. Tu finitimos inuicte rebelles
Disjcis, affligisque solo. tu celsa minantum
Sternis colla mihi, plantasque aduoluis ad imas.
Hîc tamen eliso clamorem gutture tollunt,
Auxiliumque Dei poscunt: sed nulla salutem
Dextra refert, oculosque Deus auertit & aures.
Ergo ceu Boreas campo dominatus aperto
Pulueream volucri nubem contorquet habena:
Ac velut informem triuijs vestigia limum
Crebra pedum, curruſque terunt: sic feruidus illos

Versaui, duráque fremens tellure repressi.
Tu me, cùm vulgi studia in contraria rumor
Voluitur, & sæuis ingens fax æstuat iris:
Tollere humo caput, & populis dare iura subactis
Alta è sede facis. Tyrius mihi paret, & Ammon,
Et fractis humilis regio palmosa sagittis,
Finitimique duces. gemino quin littore nostra
Seruitio ignotæ properant ad limina gentes,
Nominis excitæ fama, rerumque mearum.
Dulcia quamquam illi, multoque insperſa loquuntur
Verba lepore mihi: tamen altum auersa dolorem
Corda premunt, septique suis me turribus horrent.
Salue vera meæ rupes Deus alme salutis,
Et cunctas hominum late celebrare per oras
Bellipotens: qui me vltrici das figere canna
Perfida corda virûm, & populos frænare remotos
Ingenti ditione facis: quique hostis amari
In me sublatos ad terram deijcis enses:
Immanisque meum regis caput eruis vngui.
Ast ego pro meritis magnas tibi semper habebo,
Semper agam celebrans grates: populosque per omnes
Ipse tuum æterno diffundam carmine nomen.
Sic meditans. celsum nutu qui versat olympum,
Ille sibi sacrum per cuncta pericula regem
Seruat largus opum: dumque aurea sidera mundo
Voluentur, salsi lambent dum littora fluctus:
Dauidem, sobolemque suam, soliumque fouebit.

PARA

PARAPHRASIS

Psalmi XX. Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c.

TE pater omnipotens duro in discrimine rerum
Audiat, æternique tegat sub nominis vmbra
Isacidum o bone rex: tibi opem, viresque roganti
Adsit ab arcanis Solymæ penetralibus arcis.
Nec quæ uota pio soluisti plurima templo
Immemor, æthereis labi velit axibus ignem,
Victima quo cineres omnis considat in atros.
Denique & euentu facili tua cœpta secundet
Et uotis meliore tuis. Te sospite nobis
Lætitia exilient animi, regique Deorum
Signa coronatæ tollent victricia turres.
Nunc tibi namque Deo afflatus, rex magne, salutem
Vaticinor, rex quondam oleo caput oblite sacro,
Proque humili uirga sceptro donate superbo.
Ille inquam (nec uana animum mihi ludit imago)
Excipietque tuas voces, Solymumq; salutis
Artificem summo dextram exertabit Olympo.
Iamque procul galeis, telisque minacibus hostes
Aduersi campo apparent, hic curribus altis,
Hic acri connixus equo. Nos obuia pleni
Ora Deo, fretique armis cælestibus imus.
Hostis at ecce solo trepidas effusus habenas

Deſerit, & frãctos moriens cum falcibus axes.
Nos idem hoc recti plantis inſiſtimus æquor.
Sic eat, & Solymæ cuſtos ſic optime genti
Aeternum faueas, nobiſque vocantibus adſis.

PARAPHRASIS
Pſalmi XLVI. Deus noſter refugium.

NOs procul á trepidis tuta Deus arce periclis
Collocat, atque ſuæ clypeo virtutis obumbrat.
Ergo non vllus nobis imbellia tanget
Corda timor pulſans: non, ſi iam deſerat orbem
Terra ſuum, montesque ima ab radice reuulſos
Proruat in pelagus, ſtygioque immergat Auerno.
Sed licet immiſto ſpumis canentibus æquor
Limo, ſeu ruptis elidat cautibus aſtra:
Vrbs immota tamen, fluuioque hæc ſtabit amœno
Læta ſuo, ſtabunt gelidis circumdata riuis
Mœnia, & excisæ Solymis in rupibus arces.
Quas Domini numquam bonitas, præſentia numquam
Deſeret auxilio. hinc, duris cum regna colonis
Tota fremunt, celſa molitur fulmina dextra.
Omnis eo terrore cohors affuſa repente
Labitur, ac uelut imber humo fluit. Impiger hac ſtat
Armipotens Deus ille, hic cunctis ille periclis
Immunem muro ſedem mihi ſepsit aheno.

Huc

Huc Solymi properate boni, atque agnoscite mecum
(Dum relego) noſtri memores opera alta parentis.
Vt deſolatos primis cultoribus agros
Ceſſerit Abramidum natis: ut bella per orbem
Diſpulerit, valido ſque manu præfregerit arcus
Enſeſque, clypeoſque, vt currus mille volantes
Vſſerit, et rapidis cinerem diſperſerit auris:
Denique vt hoc fuerit nobis ſermone locutus.
O tandem ex animis diros expellite motus
Mortales, verumque Dei cognoſcite numen.
Ille ego ſum Deus, ingenti quem concita plauſit
Ingentem, et populis cunctis mandata ferentem
Accipiet Tellus, ſæuosque oblita furores
Sæcula compoſito tandem feret aurea mundo.
Interea noſtri cuſtos Deus impiger hac ſtat,
Et tutas Solymo communit vertice ſedes.

PARAPHRASIS
Pſalmi XLVIII. Magnus dominus & laudabilis &c.

TErrarum, ſuperique Deus regnator Olympi
Dilecta gaudet ſpectari magnus in vrbe
Et legit hîc ſacras celſo de vertice laudes:
Vrbs amor, atque oculus Solymæ pulcherrimus oræ eſt
Delitiæque hominum, Diuûmque æterna voluptas:

Quam mulcet gelidis Arctos ſpirantibus auris.
Hæc patria, hæc regis florens eſt regia magni:
Hîc ſe perfugium per ſæua pericula nobis
Oſtendit, ſanctoque Deus de colle refulſit.
Ecce etenim facta reges cum pace coirent
Omnes, & paribus peterent hæc mœnia curis:
Corpora per campos late proiecta ſuorum
Adſpexêre: ſimul ſtupor, & ſimul horror inertes
Obruit, inque ſuas ſubito fuga diſtulit arces.
Fœmina ceu magno queritur concuſſa dolore
Dum parit, et dubijs fœtum connixibus ædit:
Ac velut eous pelago cum ſæpe coortus
Incubuit, fundoque ſalem ciet Eurus ab imo,
Diſſpergit Cilicum turrita puppe carinas:
Sic illi doluere, fugæ ſic terga dedêre.
Ergo quæ ſoliti veteres agitare parentes,
Fatidicoque pij cantu prædicere vates:
Quisque ſuis oculis, atque hac adſpeximus vrbe:
Vrbe Dei, ſolido armipotens quam robore ſepſit
Naſcentem, nulloque dedit collabier æuo.
Hîc nos te auxilium genitor diſcrimine duro
Oramus, mœſtique pijs affundimur aris:
Nec tua nos vmquam bonitas, aut dextra fefellit
Munere iuſtitiæ celebris. Te fama per omnem
Fert oram, atque tuis latè loca laudibus implet
Quæ lauit Oceanus, vel glaucicoma Amphytrite.
Nunc Solymæ gaudete arces, quibus optimus hoſtem

Auertit

Auertit procul ille Deus. nunc tollite nymphæ
Iudeæ, nymphæ cœlo nunc tollite plausus.
Ite, et virgineo uestros circundate muros
Agmine: surgentes altum super aëra turres
Enumerate suas, munitaque mœnia fossa
Cernite, & aggeribus: niueoque palatia saxo
Perlegite hinc summas oculis educta sub auras:
Perlegite, et memori late diffundite fama.
Hic etenim Deus, hic, qui prima ab origine mundi
Isacidum firmo iunxit sibi fœdere gentem,
Noster erit penitus, per que omnia sæcula noster,
Omne æuum. cumque in patrium tendemus Olympum,
Ipse sub extremo vitæ nos limine ducet.

PARAPHRASIS
Psalmi L. Deus Deorum dominus loquetur &c.

ILle potens regum, diuûmque hominumque repertor,
Alta locuturus tandem post otia iudex
Concilium gemino terrarum cardine coget.
Et mox arcanæ perfusus lucis honore
Prodibit Solymæ ex adytis. sed flammeus illum
Anteuolans cursu vortex rapido ibit, et atra
Ventorum piceo tempestas agmine cinget.
Ipse homines, diuosque vocans, & sede receptus

Sideria, ſanctam, dicet, mihi cogite plebem,
Quæ mecum calidas fœdus teſtata per aras.
Atque hîc iuſta Dei penitus mandata perennes
Illæ diuino celebrabunt carmine mentes.
At Deus hùc animos, inquit, præſtate loquenti
Iſacides, gratum ſuperis genus. en ego veſter
Vos Deus, en hodie præſens mea iura docebo.
Quod mihi purpureos raro lauet hoſtia cultros
Sanguine, uel parcis adoleſcant ignibus aræ:
Non equidem arguerim, nec veſtro e limine taurum
Accipiam, aut primis pubentem cornibus hircum.
Quandoquidem omne mihi pecudũ genus, omne ferarum
Et nemore in magno, & frondoſis montibus errat,
Et mihi ſe fruſtra ramo tegat ales opaco.
An nè igitur, ſi me vllus amor contingat edendi,
Auxilium à uobis poſcam Deus? arduus omnem
Qui teneo ditione orbem, & quæcumque reuoluens
In ſua ſe laxis orbis complexibus arcet.
Scilicet omnipotens tauris ego veſcar opimis,
Spumantiue bibam calidum cratera cruore.
Non ita, mortales. ſed enim mihi laude litate
Thuricremis potiore focis, hæc reddite uota:
Non fibras, non exta peto. me rebus in arctis
Implorate Deum: rebus vos vnus ab arctis
Eruam, & aëria tutos in ſede locabo.
Vos mihi ſeruati meritos ſoluetis honores.
At tu (namque homines iudex affabitur omnes)

Improbe

Improbe quid domini memoras decreta? quid icta
Fœdera cum ſanctis impuro polluis ore?
Tu legum inflecti fræno, imperioque mearum
Impatiens, longe leges poſt terga dediſti,
In ſcelera ac culpam pronus: tu furibus audax
Acceſti volucer viſis comes. ebria tecum
Pacta parte thoros uiolauit turba iugales.
Quodque ego tanta diu clemens impune furentem
Pertulerim, ſimilem eſſe tui me reris: at ecce
Poſt ſeros mea te uindicta coarguet annos
Ante oculosque tibi commiſſa piacula ponet.
Hos ego vos casus ſtudio prædiſcere multo
Præmoneo, qui turpe ſacri traducitis æuum
Numinis immemores: digna ne concitus ira
Abripiam, nulluſque meæ vos eximat iræ.
At contra quicumque pia mihi grate litabit
Componetque ſuos iuſſa ad mea grandia mores,
Illum ego uictrici ſtatuam ſuper aſtra corona.

PARAPHRASIS
Pſalmi LXI. Exaudi Deus deprecationem meam &c.

TV modo ſancte parens rerum, venientibus aurem
Da facilem precibus, curis quas obrutus altis
Ipſe tibi, et mœſto ſupplex cum carmine fundo.

Te miſer extremis terræ nunc alloquor oris
Exclamans. O qui quondam ſeruare ſolebas,
Ac uelut ærata trepidum me condere turri
Hoſtibus, exitijque metu procul: o pater, ò rex
Tu mihi nunc ſolido rupem circumſpice ſaxo
Connexam, celeresque manu me tolle per auras.
Aſt ego dehinc omni cura, & formidine pulsa
Te fretus, tua ſacra pater tentoria adibo,
Aternùmque colam. Tu me hîc de more uolucris
Cum fouet implumes alarum tegmine fœtus,
Diuina recrees complexum molliter umbra.
Tu quoque, cum noſtris olim mitiſſime uotis
Faueris, atque optata libens tranſcripſeris arua
Te ueritis: noua necte tui nunc tempora regis
Temporibus ſuper accumulans, atque illius ætas
Vna virum uincens multos, ſine, complet orbes.
Illius in ſolio Bonitas, Verumque Fidesque
Adſint, et laterum regem munimine ſtipent.
Vnde ego tot cupidus grates perſoluere dignas
Muneribus, plectroque fides modulatus eburno
Transmittam uentura tuum per ſæcula nomen,
Perpetuoque pias referam tibi uota ſub aras.

PARA-

PARAPHRASIS
Psalmi LXXV. Te manet hymnus Deus in Sion &c.

TE manet in Solymis, Diuûm pater, arcibus vnum
Laudis honor, cunctique pijs tua limina donis
Ornabunt: per te quoniam genus omne virorum
Adiutum spatijs terrarum hûc confluet imis.
Nanque licet magna scelerum, turpique premamur
Mole modò, & mersi pœnis iaceamus amaris:
Tu tamen, oblitus scelerum, miserebere nostri.
Fœlix ille, tibi quem charosinter amicos,
Inter custodes Solymi selegeris antri.
Illum animo puros facies haurire liquores
Sanctarum rerum, & viuo se proluere amni
Quem tua delitijs pleno domus explicat alueo.
Illinc iustitia populos miranda per omnes
Facta ædes, illinc nostram tutabere pacem
Humani spes ò generis, quà maxima tellus
Panditur, æquoreæque sinus iacet vltimus oræ.
Tu validis montes, & saxa minantia cœlo
Nexibus, ingenti pollens virtute, reuincis.
Tu maris irati fremitum, sæuasque procellas
Imperio premis increpitans. Tu numine gentes
Ipse tuo trepidos cogis sedare tumultus,
Pacatamque iubes agitare per oppida vitam.

Te miſer extremis terræ nunc alloquor oris
Exclamans. O qui quondam ſeruare ſolebas,
Ac uelut ærata trepidum me condere turri
Hoſtibus, exitijque metu procul: ò pater, ò rex.
Tu mihi nunc ſolido rupem circumſpice ſaxo
Connexam, celeresque manu me tolle per auras.
Aſt ego dehinc omni cura, & formidine pulsa
Te fretus, tua ſacra pater tentoria adibo,
Aternùmque colam. Tu me hîc de more uolucris
Cum fouet implumes alarum tegmine fœtus,
Diuina recrees complexum molliter umbra.
Tu quoque, cum noſtris olim mitiſſime uotis
Faueris, atque optata libens tranſcripſeris arua
Te ueritis: noua necte tui nunc tempora regis
Temporibus ſuper accumulans, atque illius ætas
Vna virum uincens multos, ſine, complebit orbes.
Illius in ſolio Bonitas, Verumque Fidesque
Adſint, et laterum regem munimine ſtipent.
Vnde ego tot cupidus grates perſoluere dignas
Muneribus, plectroque fides modulatus eburno
Transmittam uentura tuum per ſæcula nomen,
Perpetuoque pias referam tibi uota ſub aras.

PARA-

PARAPHRASIS
Psalmi LXXV. Te manet hymnus Deus in Sion &c.

TE manet in Solymis, Diuûm pater, arcibus vnum
Laudis honor, cunctique pijs tua limina donis
Ornabunt: per te quoniam genus omne virorum
Adiutum spatijs terrarum hûc confluet imis.
Nanque licet magna scelerum, turpique premamur
Mole modò, & mersi pœnis iaceamus amaris:
Tu tamen, oblitus scelerum, miserebere nostri.
Fœlix ille, tibi quem charosinter amicos,
Inter custodes Solymi selegeris antri.
Illum animo puros facies haurire liquores
Sanctarum rerum, & viuo se proluere amni
Quem tua delitijs pleno domus explicat alueo.
Illinc iustitia populos miranda per omnes
Facta ædes, illinc nostram tutabere pacem
Humani spes ò generis, quà maxima tellus
Panditur, æquoreæque sinus iacet vltimus oræ.
Tu validis montes, & saxa minantia cœlo
Nexibus, ingenti pollens virtute, reuincis.
Tu maris irati fremitum, sæuasque procellas
Imperio premis increpitans. Tu numine gentes
Ipse tuo trepidos cogis sedare tumultus,
Pacatamque iubes agitare per oppida vitam.

Nec minus extremi vario ſub vertice mundi
Mortales tua ſigna canunt, ſeu prodat Eois
Phœbus aquis, ſeu Phœbus aquis ſe tingat Iberis.
Tu ſolio ex alto duros miſeratus agreſtes
Aſpicis, atque ſiti terras inuiſis hiantes,
Et largo ſimul amne rigas: hunc nam tibi nubes,
Hunc piceæ portant cœli ſub cærula nubes.
Ergo is cum teneram frumenti nutriat herbam,
Sicca diu ſteriliſque, tuo iam munere tellus
Enitet, & grauidis late flaueſcit ariſtis.
At quæ vix domitæ valido ſunt vomere glebæ
Vix dum æquo ſedere ſolo, tua numina ſanctis
Imbribus, exiguoque iubent miteſcere cultu:
Vnde nouum latis germen caput efferet aruis.
Sic igitur ſe ſe ſpiris ingentibus anni
Excipiunt læti donis, quæ plurima cœlo
Appluis. ipſa tuis etiam veſtigia plantis
Deſtillant ſaturos per culta, per inuia rores.
Palmiferos etiam colles viridante videmus
Luxuriare coma, & paſtis mugire iuuencis:
Et gregibus niueis campus ſe veſtit, & imas
Conualles denſa Cereris ſeges obtegit vmbra.
Vnde tibi feſtæ frondis velata coronâ
Inſuetas laudes per ruſtica carmina pubes
Paſtorum canit, & choreas pede plaudit agreſtes.

PARA-

PARAPHRASIS
Psalmi LXXIIII. Vt quid Deus repulisti in perpetuum?

CVr Deus immenso penitus nos abijcis æuo?
Et tua quid tantis etiamnum fluctibus ira
Aestuat? Isacidasne pater delere paraſti?
Dispergesue tibi collectum pastor ouile?
Quin age, & hæc relegas seclo tibi facta priori.
Vt gentem populo ex omni secreueris vnam
Isacidas, rectosque pia per inhospita virga
Ipse tuæ tandem proprios adsciueris vrbi.
Vrbi, quæ celso versam sub colle Sionem
Tristior, & cultas quondam tibi suspicit arces.
Huc geminos nunc tolle pedes, oculisque ruinas
Ingentes hauri, & nobis quam multa furoris
Hostis acerba sui nuper vestigia liquit.
Aspice, vt hoc temeret diffuso murmure templum,
Et festas cum luce dapes, agitataque vento
Impia turrigeris vndent insignia muris.
Proh immane nefas, animis ingentibus ille est
Clarior, & duris habitus præstantior armis,
Qui sæuam tollens aurata in tecta bipennem
Altiùs adducto quiuit prostrare lacerto
Pendentem, ac gemmis molem, cedroque nitentem.
Aut qui per medias templi quæsita ruinas

Lamina tot pulchris rerum cælata figuris
Diſpulit acer agens, ac vectibus obtudit æreis.
Nec ſatis. ipſa picem multa ſuper atria flamma
Miſerunt, miſtam tædis, et ſulphure glauco.
Vnde ſacri ad terram ſeruatrix fœderis arca
Concidit, et manibus iacuit polluta prophanis.
Quin agimus? Solymæque (aiunt) populemur opimæ
Cultores, dominique faces in tecta feramus:
Tecta, quibus leges olim puer hauſit auitas.
Nec mora: cuncta Dei ſubitis domus ignibus arſit,
Et poſtrata ſolo nunc ardua culmina fumant.
Ecquid non miſeri tulimus probrique, malique,
Dum ferus hoſtis adeſt. iam nec ſigna vlla videmus,
Ætherei ſigna vlla ducis: non gaudia vates
Ingerit, arcanas fundens de pectore voces,
Que tanto finem edoceant, metamque labori.
Sed tu, qui rerum metas et tempora ponis,
Mortaleſque tuo diſpergis fulmine faſtus,
Quo Solymæ ſæuis illudere vocibus hoſtem
Vſque ſines? ducine tuum per iurgia nomen
Æternùm patiere? tuo puid pectore dextram,
Illam, inquam, tacito dextram quid pectore condis?
Quin potius lento nobis excuſſa veterno
Adſit, & in meritas vltrix ruat ignea gentes.
Tu meus a prima voluentis origine cœli
Rector eras, media toties quo vindice terra
Iſacidis eſt parta ſalus. Tu viribus æquor

Purpurea

Purpureum fluctu, & proiecta pigrius alga
Rupisti. dedit ipsa viam fugientibus unda,
Et gemini in montis faciem curuata pependit.
At regem monstris succinctum colla marinis
(Tantos namque Phari stupuerũt cærula currus)
Obruit vnda eadem, scopuloque illisit acuto.
Ipsa dehinc ventis impulsa cadauera pontus
Eiecit, rostroque ales discerpsit vbunco
Aethiopum deserta colens. Tu uerbere virgæ
Hausisti liquidum ruptis de cautibus amnem,
Siccastique vago stagnantia flumina cursu.
Tu noctis lucisque author. tibi menstrua Luna
Cornibus in noctem domino se cingit, et auro:
Inque diem roseo Titan venit annuus orbe.
Tu solidis vndosa pater confinia terris,
Immotasque mari metas, littusque locasti.
Sidere tu vario cœli, Solisque meatu
Perpetuo, varium finxisti vultibus annum:
Et nunc tristis hyems, nunc candida ducitur æstas.
Sed quid ego has operũ laudes, hæc fœdera fando
Prosequor? ipse vides, quantis tua nomina probris
Incessat, cœlumque hostis, numenque lacessat
Ore minax impune diu. saltem adijce menti
Hoc opus, atque tuam verbis memor assere famam.
Dein te siqua tuæ pietas, te siqua mouere
Gentis cura potest: ne gentem ante ora ferarum
Exanimem ne linque metu: ceu cassa marito

Aut gemit, aut ſæui turtur pauet alitis vngues.
Neue inopes æternùm animo depone: ſed icti
Fœderis ò, veterumque velis meminiſſe parentum.
Et nunc tempus adeſt lapſis ſuccurrere rebus.
Nam quod inauſum hoſtis, intentatumque reliquit
Sæuitiæ prædæue genus? quas cæca libido
Non latebras, quæue antra ſitu non ſquallida voluit?
Ergo ades & populum præſenti numine firma:
Neu duro tandem attritus ſub faſce laborum
Ferre tua miſerum videat ſe voce repulſam.
At tibi pro meritis, lætæ pro munere pacis
Fundet inops grates rebus non mœſtus egenis.
Nunc age, teque loco ſurgens Deus affer aperto,
Et cauſam defende tuam: non immemor, vt te
Infœlix turpi dementia prouocet ore
Probra vomens. nunc hoſtiles diſpergere voces
Te iuuet, atque alio ſtrepitus configere telo,
Inſanos ſtrepitus, cœloque minantia verba.

PARAPHRASIS
Pſalmi LXXV. Confitebimur tibi Deus, confitebimur.

NOs tibi carminibus laudes referemus auitis
Magne parens, ydemque tuo ſub numine quõdam
Inclita per ſeros mittemus facta nepotes.

Quandoquidem

Quandoquidem præsens nobis, lapsisque vicissim
Affers rebus opem. Cœlique ego conditor, inquis,
Tum cum certa dies reuoluto illuxerit astro,
Mortales gemino mundi procul axe vocabo.
His ego pro meritis pœnas, aut magna rependam
Præmia, Iustitiæ solio subnixus, & Æqui.
Tunc licet horrendo terræ rumore solutæ
Dissiliant, hominumque metu fera corda liquescant:
Ipse tamen tunc corda suis mortalia fibris
Cogam iterum, & solido terras adamante reuincam.
Et dicam. O miseri quoties his vocibus olim
Vos monui: scelerum prauos absistite calles,
Et fræno premite ora pio: néue alta superbi
Concipite, aduersóue lacessite sidera cornu.
Vel quibus hæc agitis confisi viribus? ò mens
Vana virûm! num puniceis Eoa sagittis
Ingerit hos animos tellus? aut Hesperus ingens?
Aut Aquilo? aut torrens desertas Auster arenas?
At non hinc vires vllæ, nec gloria surgit:
Arbitrium domino quarum est. Solio ille potentes
Detrahit, excelsaque humiles in sede reponit.
Ille mero vndantem dextra cratera coronat
Purpureo, miscetque malis. hunc hauriet orbis
Impius, ac fundo fæces exsuget amaro:
Exitiumque repens turbata sentiet aluo.
Ipse Dei Isacidum terras celebranda per omnes
Vates facta feram, dum liquidus ignea pascet

Astra.

Astra polus. summo volitantes vertice cristas
Sontibus excutiam, saeuisque oppressa Tyrannis
Iustitia os sacrum cœlo iam tollet apertum.

PARAPHRASIS
Psalmi LXXXVII. Fundamenta eius in montibus sanctis.

ERigitur sacros inter Sion aurea montes,
Celsaque turrigeris imitatur molibus astra,
Quam Deus ante alias Solymorum diligit vrbes.
O Sion, o sedes hominum gratissima regi,
Nam quæ diuinos vmquam non audit honores
Terra tuos, veterumque ignorat carmina vatum?
Ipse mea circum affusis in sede propinquis
Ægyptum memoro, Memphyticaque arua colentes:
Fastibus vt late positis hanc uisere sedem
Optabunt, éque hac geniti tellure videri.
Ipse Palæstinos & multo murice gentem
Purpuream, nigrosque Arabas in limina sancta
Confluere, & nobis insertos nomine cerno.
Namque erit, vt, magnum dominus cum gentibus orbem
Censeat, & sacro ciues inscribat Olympo:
Quisque suum Solymis educere mœnibus ortum
Aggressus, Solymis dicat de mœnibus adsum.
Illam, fulmineo tangens fastigia telo

Munit

Munijt indomitam ſeclis pater omnibus vrbem,
Inuictam rerum fatis, ac ſorte perennem.
Illi nec liquidæ deerunt diſcrimina vocis,
Tibia nec biforem ceſſabit fundere cantum.
Sic memoro. iamque arcano mihi pectora motu
Exiliunt gauiſa: mei iam lætius omne
Ingenij de fonte Deo fluet vbere carmen.

PARAPHRASIS

Pſalmi LXXXIIII. Quam dilecta tabernacula tua domine &c.

O Deus, o Solymæ ductor fortiſſime gentis,
Armorum qui cuncta pater diſcrimina torques,
Quàm tua ſunt animo dilecta ſacraria noſtro?
Hoc cupit is tantum, viui nempe alta videre
Regis tecta ſui: nimiáque cupidine uictus
Deficit. hoc cupiunt languentes corporis artus,
Et clamant: Da templa pater, da celſa tueri
Limina, da ſacris feſſum prouoluier aris.
En etiam humano nidos in pariete paſſer
Ponit tuta ſuos, en diuitis atria luſtrans
Ipſa domum celſa paruam trabe fingit hirundo.
Aſt ego diuini quondam pars maxima cœtus,
Heù procul ignotas præceps agor exul in oras.
O vos felices, ſanctum qui numine collem

Cernitis, ac templo vigiles discumbitis aureo.
Felices, quibus hæc tantum permissa facultas,
Vt læta quos mente diu voluêre viarum,
In tua nunc pedibus signent altaria calles.
Illorum non vlla siti deserta morari
Cursum saxa queant. aut sicca in valle liquentes
Certatim medijs fontes rimantur arenis,
Aut fossis pluuiam excipiunt. volat ordine nullo,
Et turmam pede turma premit: se sistere donec
Ante Deum iussi, sacrataque limina possint.
O Deus, Isacidum magni dux agminis, o rex
Bellipotens, placidis, quæ te precor, auribus hauri:
O cuius clypei incolumem facit vmbra latentem,
In me oculos deflecte tuos, hanc aspice frontem,
Hanc tibi quam sacro vates perfudit oliuo.
O mihi nunc tandem Solymis in sedibus vna
Luce frui tecum liceat. mihi gratior vna
Lux multis alibi ductis ea solibus iret.
Imo equidem templi custos tua limina malim
Assiduo seruare vigil, tuaque antra tueri:
Impia quam tensis vacuus colere atria velis
Inter honoratos luxu diffusus amicos.
Namque suis ceu Sol radijs, & lumine viuo
Cuncta fouet, cuncta ornat agens: ceu pectora scutum
Protegit, infestosque procul duce distinet ictus:
Sic tua qui puris animos in sacra gerentes
Arcanisque vijs tendunt, pater optime magnis

Muneri-

Muneribus, multoque hilares dimittis honore:
Et tranquilla facis recubare per otia tutos.
O Deus, o qui cuncta pater sub numine torques
Bella tuo, & pacem medius moderaris, & arma;
In te qui solo spem fixerit, ille beatus,
Ille mihi demum dicetur nomine felix.

PARAPHRASIS
Psalmi CIIII. Benedic anima mea domino. Domine.

NVnc anime aspirans dulces ordire labores,
Aeternique refer mecum facta inclyta patris,
Non tenui magnas meditatus carmine laudes.
Nam te, hominum rerumque sator, fert ampla tuorum
Maiestas operum cœlo: te plurima circum
Gloria, & arcano niueum decus ambit amictu.
Tu tibi sidereis expandis molibus ardens
Aethera, ceu celsum picta testudine templum.
Tu liquidos cœli muros tegis agmine curuo
Vndarum. tu puniceas, velut esseda, nubes
Remigibus ventorum alis per inania torques.
Te circum tenues, promptæque ad iussa ministræ
Agglomerant auræ, & dispersi fulminis ignes.
At quæ terra suis in se se nutibus ipsa
Cogitur, & gemino mundi suspenditur axe

Imperijs immota tuis per cuncta manebit
Sæcula, nec rapidi metuet conamina Nerei.
Namque ſuperfuſis olim, ceu tegmine, terras
Fluctibus obrueras: illis cùm celſa natarent
Culmina, & aëriæ ſublapſis frondibus orni.
Verum vbi vox celeres cœlo tua miſſa per auras
Increpuit, trepidoque vndæ ſonuere tumultu:
Auditis mare ceu iuſſis ſolita in loca præceps
Deſiluit, notiſque fuga ſe reddidit alueis.
Tum vero montes ſummis exire videres
Frontibus, atque humiles paulatim ſidere campos,
Erepta tellure mari. quod tu obice firmo
Vndique littoreis concluſum finibus arces:
Ipſum ne tales vmquam præuertere metas
Audeat, & ſalſo terras ſuffundere fluctu.
Atque hîc de tepidis liquentes cautibus amnes
Per montes imos, perque arua nitentia ducis.
Vnde feræ pecudeſque bibunt, Libyæque per æſtum
Frangitur æripedi ſitis igneus ardor onagro.
Frondibus hîc celſis volucres vaga flumina propter
Imponunt lætæ nidos, viridique ſub vmbra
Quæque ſuum molli meditatur gutture carmen.
Tu rorem ætherium cæleſtibus appluis oris
Campoſque colleſque ſuper. tu ſemina rerum
Ipſe tuis ſaturas opibus, gremioque latenti
Excita iucundum cœli das viſere lumen.
Hinc tellus pecori nutrix bona gramina profert,

Humaniſque

Humanisque ſuam cultoribus educat herbam
Durantem vires, & membra exhauſta labore.
Hæc eadem torta vinum de vite quotannis
Diues agit. vinum curas, atque anxia lenit
Corda ſenum mulcens. hæc ſuauè virentis oliui
Fert ſuccum, vnde hominum facies perfuſa niteſcat.
Non aliter ſua vis cœlo, ſuus affluit humor
Arboribus. cedros Libani ſub colle comantes
Tu pater, & grandes ſeuiſti numine pinus,
Alituumque domos. hîc cana Ciconia ſedem
Figit, & inueſtes alta fouet abiete nidos.
At timidos prærupta iugis, locaque inuia damas
Incolere, & folijs inſtrata cubilia ceruos
Alipedes intrare doces. tibi candida certum
Noctiuago ſpatium metitur Cinthia curru.
Tuque ſub Heſperias eois finibus vndas
Obliquo roſeum deducis limite Solem
Arduus, & longas terræ ſuperingeris vmbras.
Extemplo ruit atra polo nox: tum fera ſyluas
Deſerit, & cultis audentius errat in aruis.
Tum quoque Getuli ſoboles generoſa leonis
Egreditur latebris, ſiccaque ab fauce parentem
Te rogat, vt vacuus præda potiatur opima.
Sed ſimul ac radijs pelago ſol prominet aureis,
Proripuit, nemorumque cauo ſe condidit antro.
Deſeruere feræ fruges, hominumque viciſſim
Cura laborque redit: donec iam ſerus Olympo

Ipſe diem grato componat lumine veſper.
O quæ vim rebus virtus hanc abdidit! ò quæ
Conſtituit tantas operum ſapientia moles.
Namque tibi late authori, dominoque potenti
Orbe patet ſacro tellus: tibi maxima parent
Aequora, in immenſum fluctu ſpatiata ſonante.
Heic vbi tot bifidis proles maris humida caudis
Cæruleas nans verrit aquas: vbi ſquamea terga
Conuoluunt trepidas circum fera monſtra carinas,
Indignata ſuis auſas decurrere regnis.
Turpia quin etiam ſcopuloſo corpore Cete
Te Deus in ſalſis ludunt authore lacunis.
Atque hæc, quæ terris, liquido ſeu marmore degunt,
Te ſolum nouere patrem: te dulcia poſcunt
Quæque ſuis alimenta modis. at tu optimus ollis
Multa manu larga ſaturando munera præbes.
Quod ſi forte tuum paulò vis condere vultum,
Omnia deficiant, atque artubus ægra ſeneſcant:
Omniaque intereant, animam ſi tollis & hauſtus
Ætherios, penitusque immundo puluere ſidant.
Rurſum ſi lapſis auras, vitamque reponas
Corporibus, ſubito ſurgent animata, virûmque
Aurea progenies latis caput efferet aruis.
O ita perpetuas rerum moderetur habenas,
Atque ſuum Omnipotens ſeruando gaudeat orbem:
Cuius in aſpectu tellus tremit horrida, cuius
Attactu montes fumoſis flatibus vndant.

Illi ego; dum viuam, atque anima dum perfruar ista,
Magna canam, plectroque manus ſpectanda decoro
Percurret citharæ ſemper modulantia fila.
Ipſe meas tantùm voces, ipſe aurea fila
Percipiat læta aure Deus: namque hoc mihi vita
Profluit, hoc vno manat de fonte voluptas.
Immemor hinc recti, & ſcelerum ſinuoſa pererrans
Deficiat, totoque procul gens exulet orbe
Infœlix. At nos ſummi, mens, facta parentis,
Et meritas digno referamus carmine laudes.

PARAPHRASIS
Pſalmi CVI. confitemini domino, quoniam bonus: quoniam.

NVnc agite Iſacides diuûm ſua carmina regi
Dicite, & æternæ meritos bonitatis honores.
Quanquam ò quis domini fando fortiſſima facta
Explicet? aut poſſit laudes æquare canendo?
Fœlices igitur, tantis qui diſcere rebus
Iuſtitiam moniti cunctum coluere per æuum.
Sancte parens, ſoliti non vnquam oblitus amoris
Aſpice me, populumque tuum. mihi grata ſalutis
Dona refer, placiduſque meis allabere votis.
Liber vt exilio patrias reuocatus ad oras
Gaudia tot populi videam tui, & illa Sionis

Mœnia

Mœnia, plaudentemque nouis mihi vocibus vrbem:
Quam tibi perpetuo deuinctam fœdere seruas.
Sed nos (heù nimium iusti monimenta pudoris)
Multa vetus uidit nostris cum patribus ætas
Infanda, & scelerum multas simul ædere formas.
Non illis tua Niliacas portenta per oras
Pondere sunt expensa suo, benefactaque paruis
Effluxere animis ingentia: & æquore rubro
Infidas primum voluêre ad murmura linguas.
Tu tamen, vt valido late tua facta lacerto
Cunctus ob Isacidas terrarum nosceret orbis,
Parcebas placidus pœnis, vitreoque iubebas
Hinc pelagus, atque hinc abductum surgere muro,
Paruit vnda volens. tu per vada subdita charam
Duxisti deserta velut per torrida gentem.
Pone sequebantur falcatis axibus hostes:
Quos suspensa super rapido mox gurgite moles
Irruit, & fluctu penitus tulit alta refuso,
Nullus vt ad patrias remearit nuntius vrbes.
Illa autem tantis subito defensa ruinis,
Hostili gens illa solo manibusque reuulsa
Sanguineis, cœpere Deo confidere, & illi
Sollennes curuo cecinerunt littore laudes.
Verum hi mox alias mentes, alia ora tulere
Obliti tantorum operum, fœdaque repente
Ingluuie arserunt, liquidique cupidine fontis.
Pro quibus haud veriti crebris sunt uocibus iras

Irritare

Irritare Dei. tactis de rupibus vndam
Elicuit Deus, ac denſum pluit alitis imbrem
Pennigero ſub caſtra Noto: expleta ſed illis
Omnia mox lento languebant corpora tabo.
Tunc quoque nec medijs Moſen tulit æmula caſtris
Turba ducem, ſacrumque Deo contempſit Aronem.
Quod ſcelus indignum tellus non paſſa latentes
Pandit opaca ſinus, vaſtoque immerſit hiatu
Abyron Datamque, & apertis atria velis,
Et ſcelerum ſocios: ſupera quin lapſus ab ora
Igneus vnà hauſit trepidantia corpora vortex.
At non hæc reliquos flexit vindicta: ſed omnes
Flagitium mox grande auſi, facinúſque fuêre.
Namque auro è liquido, celſus quâ ſurgit Orebus,
Eductum, & prima laſciuum fronte iuuencum
Confinxere ſibi: nec quicquam tanta morati
Purpureique maris, phariumque emiſſa ſub orbem
Prodigia, omne decus miſeri propriumque, Deique
In ſaturum molli fuderunt gramine taurum.
Ergo tum dominus iuſta ſuccenſus ab ira
Ingratam potuit Solymorum excindere gentem.
Ni Moſes manibus ſupplex ante ora furentis
Conſiſtens tantos placaſſet numinis æſtus.
Nec modus hîc illis ſcelerum, nec terminus hæſit.
Quin & tot quondam lachrimis, votiſque petitum
Deſpexere ſolum: cum nec confidere verbis
Aggreſſi, imperioque Dei parere, minaces

Impia complerent insano murmure castra.
Audijt hunc strepitum pater indignatus, & altè
Sublata per saxa siti squallentia dextra
Corpora fudit humi patrum, sobolemque futuram
Per varias iam tum statuit dispergere terras.
Olli securi rerum noua crimina tantis
Addere criminibus, turpem cum gente prophana
Ausi sæpe sacro venerari Peora ritu,
Oblataque nigris depasci manibus escas.
Tum Deus Isacidum studijs offensus iniquis
Noxia corripuit pallenti corpora morbo.
Infandas donec culpas vltore recidit
Iratus ferro Phineas, iustoque peregit
Dignum opus, & cunctis hominum memorabile seclis.
Verum illi infracti pœnis, & iurgia rursum
Iactantes Meribæ dominum exciuere per amnem,
Et Mosi nocuere pio, qui turbine mentis
Abreptus pariter verbis insana profudit.
Quin etiam pacta demum tellure potiti,
Quos deus ex ima deleri stirpe colonos
Iusserat, his veniam victis tribuere volentes.
Horum commisti vetitos ediscere ritus
Aggressi, & fœde diuûm simulachra vereri,
Placarunt diras natorum cædibus aras.
Heu cruor indignus patrum feritate, nefandas
Fusus virgineo lauisti gutture cautes,
Et polluta pio rorauit sanguine tellus

Neue

Neue aliquid fingi ſcelerum ſibi poſſet inauſum,
Aut ſecto ex ebore, aut candenti marmore vanas
Effigies finxere Deûm, manuumque ſuarum
Effuſum potuere genu prouoluere ſignis.
Quæ pater omnipotens animo auerſatus acerbo
Iſacidum (chara illa diu ſibi pignora) plebem
Hoſtibus addixit dominis, vt flecteret æreo
Colla ſuperba iugo, iuſſiſque immitibus aures.
Ipſam ſæpe tamen uinclis ac compede dura
Expedyt ſuperum pater, et miſeratus egentem eſt.
At non illa ſui contra parere parentis
Dura tulit monitis. ergo ſua crimina tantis
Iſacidas merſere malis, arcanaque moles.
Tempore quo tandem fracti fera corda labore
Ad cœlum querulas cœperunt tollere voces.
Audyt omnipotens voces, miſeriſque benignas
Fœderis indulſit patrij non immemor aures.
Atque idem iuſtas, conuerſo numine, pœnas
(O pietas immenſa Dei) pertæſus, & iras,
Barbaricas flexit conſulta ad mitia mentes.
Vt qui noſtra feri nuper captiua trahebant
Corpora, et æratis onerabant vincta catenis:
Iidem mox grauibus releuarent nexibus, ijdem
Nullo liberius ſinerent cuſtode vagari.
At tu ſancte parens, generis duxque optime noſtri,
Aſſere relliquias Solymûm, patriæque ſub vnum
Sparſas coge locum, & lætas ſine carpere luces.

Hìc te perpetuo tollemus carmine ad aſtra
Te, nomenque tuum, partisque inſigne triumphis
Et vitæ immortale decus: ſimul hæc eadem omnis
Voce pia, & plauſu populus geminabit amico.

PARAPHRASIS

Pſalmi CII. Domine exaudi orationem meam.

O Superûm pater, ò hominum ſanctiſſime rector
Exaudi mœſtas, imoque e corde profuſas
Aure preces molli: teque in mea vota vocanti
Temporibus facilem duris citus exere vultum.
Namque velut fumi vacuas ſe ſe æſtus in auras
Sponte ferens, abijt cœlo dilapſus aperto:
Sic miſero mihi vita volat, tacitusque medullas
Eſt dolor, accenſæ in morem tædæúe, fociúe.
Ac dum ſquallore in tenebris, macieque ſuprema
Confectum per longa traho ieiunia corpus,
Vt curuo in pratis deſectum vomere gramen
Areſcit moriens: ita crebris ſaucia telis
Curarum corda extabent, vix q̃ oſſibus arens
Et crebris diſtenta cutis ſingultibus hæret.
Vos etiam gemitu ſyluas, & muta cientem
Sidera me pariter luces ſpectatis, & vmbræ:
Non ſecus ac pernox excíso noctua muro

Sera ſedens canit, aut in culminibus deruptis
Bubo, vel aëria viduus gemit ilice turtur.
Nam quid agam? probris ſemper laceratus acutis,
Iurantumque dolis, & cæca fraude petitus
Per caput, ærumnaſque meas. me lambere panem
Gaudentes atro conſperſum puluere cernunt,
Et miſtam lachrimis haurire tepentibus vndam.
Atque his ira tibi, turbati & ſpiritus oris
Voluit me pater alme malis, humiliqueiacentem
Vexit in aſtra loco, celſis vt rurſus ab aſtris
Laberer, & ſcopulo præceps impingerer imo.
Hinc mea voluendis ætas properantior annis
Effluit, ac ſera Solis fugit ocius vmbra.
At te perpetuo moderantem numine mundum
Non tempus, non fata pater mortalia tangunt:
Nec ventura tuam condent obliuia famam.
Omne tui ſæclum viuet memor. ergo age noſtro
Iam melior, iam ſurge ſolo, mæſtæque Sionis
Et populi miſerere tui: nam plenus auitis
Nunc redit annorum prõmiſſus vatibus orbis.
Ipſi nunc hoſtes animo diſiecta Sionis
Saxa vident placido, & pulchram excciuiſſe per vrbẽ
Puluereo mœrent vndantem turbine fumum.
Scilicet & tempus veniet, quo nominis ingens
Maieſtas, virtusque tui cum regibus omnes
Heſperio populos, cœloque ciebit Eoo.
Dum tamen hos veteri lapſos prius ordine muros

Excitet

Excitet, atque ſui Solymas iterum impleat arces.
Dum tu ſancte parens homines miſeratus egenos
Percipias alto demiſſas corde querelas.
Omnia quæ quondam tabulis mandabit ahenis
Primaferè, ac ſoboli linquet celebranda futuræ
Poſteritas. vbi tu cœli de vertice ſancto,
Arcanóue loco, & Solymæ penetralibus arcis
Deſpiciens humiles terras, lacrimantia cædem
Videris horrentum, vinctorumque ora catenis.
Vt mortis vacui cura, nexuque ſoluti
Concelebrent domini per templa Sionia nomen:
Nomen, quo trepidi circum tua limina denſo
Agmine ſe fundent populi, varioque potentes
Dona tibi referent impulſi cardine reges.
Quamuis tu medio vitæ in certamine vires
Fregeris, & ſtadio metas incluſeris æui
Feruentis breuiore mihi: vnum hoc te tamen, vnum
Sancte oro genitor, ne cæptum abrumpere curſum
Me velis, aut ſpatio iuuenem propiore relinqui:
Non inſueta peto, penitusque indebita nobis,
Quorum tu pater, atque antiquo fœdere ductor
Viuis inextinctam naturæ fœdere vitam.
Idem tu ſolido nutantes pondere terras
Fundaſti, tenebris ſupra maris horrida cæcis
Arua, chaoſque ſupra. magnum tua dextera cœlum
Finxit, & hinc liquidos aſtrorum protulit ignes.
Atque hæc interitus quondam ſuus, & ſua mortis

Fata manent. tu ſemper eris: tu ſidera, cœlumque
Et vaſta penitus mundi conuulſa ſenecta
Inuertes elementa tibi: ceu diues habendo
Atterit, atque alio veſtem permutat amictu.
At non tu fatis vmquam mutaberis vllis
Annorumue manes ſenio carpendus: at idem,
Qui fueras, nec dum tacitè labentibus aſtris,
Semper eris: ſemper proles immota piorum
Aurea ſtellantis tecum colet atria cœli.

PARAPHRASIS
Pſalmi CXIII. Laudate ſerui Domini &c.

HVc agite & dominum ſanctis extollite mecum
Laudibus ò pueri, veſtras huc vertite mentes
Aurea qui ſacri vigilatis ad atria templi.
Dum ſol ætherium curru metitus Olympum
Sæcula perpetuis nectet labentia ſæclis:
Semper honos, laudesque Dei, nomenque manebunt.
Cuius ab Auroræ croceo pennata cubili
Surgit, & Heſperios inuiſit gloria fines.
Illa etiam (quando terris Deus omnibus extat)
Aërias ſupra nubes, ſupra ardua cœli
Aſtra volat, cunctisque obiecta repagula rebus.
Nam quis erit? cæſi cultores dicite ſaxi,

Quique

Quique genu pauidum ficto prouoluitis auro:
Nam quis erit, qui se domino conferre supremo
Audeat? & superos demens nitatur in axes?
Hinc pater omnipotens terras, atque æquora cernit
Prouidus, hinc cœli lustrat variabilis oras
Molem agitans, animamque sua se mole ferentem.
Non ille elatos opibus, sed plebis egenæ
Supra alios turpi squallentem puluere tollit,
Imponitque ducem solio, ducibusque propinquum
Collocat, & paribus regnorum ditat habenis.
Ille etiam tristes, infœcundosque hymenæos
Dulci prole beans dat nuptis nomina matrum,
Et vacuas implet pueris ludentibus aulas.

PARAPHRASIS
Psalmi CXIIII. Cum exiret Israel de Ægypto &c.

CVm genus Abramidũ, et Iudæ sata sanguine proles
Barbaricos pedibus nexus, iugaque ærea collo
Excuteret, phariasque Deo duce linqueret oras:
Hanc Deus asciuitque sibi, propriamque dicauit.
Huius in aspectum pauidis se diffidit æquor
Fluctibus, atque fuga terras recluſit apertas.
Amnis & aduersas retro tulit horridus vndas
Iordanes. etiam montes nimbosa minantes

Concussere

Concussere iuga, & colles saliere propinqui.
Vt ductor salit inter oues caper, aut velut agni
Cruribus in viridi persultant mollibus herba.
Sed qui te casus medios, mare, scindere fluctus
Impulit, & terras subter monstrare latentes?
Aduersis quæ causa retro te cursibus egit
Iodanes? quid vos prærupto culmine montes,
Quidue iugo nemorum colles salijstis opaco?
Non secus atque aries ouium per gramina ductor
Exilit, aut teneris luctantur cornibus agni.
Nempe tibi hunc, tellus, misit conspecta tremorem
Isacidum domini facies: qui flumina venis,
Abstrusis lapidum venis educit & altam
Conuertit quatiens in stagna liquentia rupem.

PARAPHRASIS
Psalmi CXVIII. Confitemini Domino, quoniam bonus

NVnc patri æthereo laudes pietatis, & illos
Dicite inexhaustos animi miserantis honores
O magni Isacides, ò creta Aharone proles,
O quicunque deum cultu veneraris amico:
Hæc lux, hæc pariter mecum vos carmina poscunt.
Ipse quidem, angusta premerer quum fraude viarum,
Voce deũ supplex adj. deus ecce vocanti

Annuit, & ſolido pauidum ſtitit æquore campi.
Hic mihi dum præſens vires, animumque miniſtret:
Non ego ſiue hominum inſidias, ſeu tela timebo.
Nunc etiam illius clypeo protectus, & vmbra
Infenſas acies ſperno. cui nitier vni
Eſt ſatius, quàm ſe mortali credere tutum
Præſidio, aut regum telis, opibusque futurum.
In me ſi gemino mundi de cardine gentes
Confluerent certatim omnes, ſi terga latuſque
Facta mole meum premerent, facibuſque furentes
Inſtarent. vdo veluti cum cerea circum
Regna Noto glomerantur apes: aut quale per vmbram
Incultis crepitant ſubiecti ſentibus ignes:
Has tamen, has gentes domini ſub nomine victor
Exitio, lethoque darem. Me nuper acuta
Impulſum de rupe malus circumdedit hoſtis.
Exclamo. Deus è foribus candentis Olympi
Audit, inoffenſumque manu ſuper ardua tollit.
Ergo idem paciſque parens, & roboris author
Materieſque meis ingens inuenta camœnis
Rex hominum, diuûmque potens. hinc ampla piorum
Vocibus, hinc feſto reſonant tentoria plauſu.
Victor, iò, rex orbis, iò. tua dextera nobis
Vincere dat, partoſque armis agitare triumphos.
Tu dominus, tu celſa manu moderaris, & ima.
O mihi ſi ſeros vitam ſupereſſe per annos
Fata ſinant mea. quàm domini memoranda referrem

Facta libens? cupiduſque ſuis aduoluerer aris?
Sed viuam: namque ille monens me verbere torto
Proſecuit, non lethali tamen attigit arcu:
Non moriar. Vos o ſancti mihi limina templi
Cuſtodes reſerate, mihi vos peruia iuſtis
Atria, vos diuûm ſacraria pandite regis.
Ingrediar: laudesque canens, & debita ſoluã
Regi dona meo, partæque ſalutis honores.
Ille autem, quem proiectum terræ inſcia ſpreuit
Artificum manus, ille ædis caput alta coronat
Tecta lapis, geminus cuius munimine firmo
Nectitur, & molem paries coit actus in vnam.
Hoc certe deus egit opus: ſed lumine tanto
Caligant oculi nobis, animique ſtupescunt.
Hunc pater Iſacidis dedit illuceſcere ſolem:
Ergo hilares ludoque diem, ſaltuque leuemus,
Fundamusque preces domino. te maxime diuûm
Oramus, ſacrum genitor tibi vertice regem
Et ſuperis demiſſũ oris ſerua omnia contra
Tela virûm, votisque ſuis concede potiri.
Iidem nos templi fauſtũ cuſtodibus omen
Dicamus. vosque o pueri, caſtæque puellæ
Spargite humi flores: raptique ab matribus agni
Ante pias adſtent religatis cornibus aras.
Hic ego te populi in media, pater alme, corona
Laudibus attollã: regemque, deumque ſonabo
Te fidibus, te voce meum. tibi cætera pubes

Aeternas refert tanto pro munere grates.

PARAPHRASIS
Psalmi CXXVI. cum conuerteret Dominus captiuitatem &c.

QVum deus in patriam solymos Babylone reduxit
Seruitijque iugo pressos exemit acerbo:
Tantum animi stupuere, vt non ea vera putarent
Gaudia, non veros abitus: sed blandà sepultis
Per somnum tenues illudere sensibus vmbras.
O quos tunc risus domino, quæ carmina tanti
Tunc nostra authori fuderunt muneris ora.
Hæc cernens, animoque in nos defixus hianti
Barbarus, en quali propriam sibi numine gentem
Seruat, ait, Deus. en quanto dignatur honore.
Nec vocem hanc vanam veri gens illa profudit:
Nec nos ingenti, & merito minus aurea plausu
Sidera pulsamus reduces. Teque optime diuûm,
Te genitor, quando factis tam grandibus vnum
Hoc superest, vnum oramus. da posse relictos
Barbarica terra solymos in tuta reuerti
Hospitia, & patrias pleno petere agmine sedes.
Non secus ac ripis torrens, atque aggere victo
Exultat late liber, si forte solutis
Sole recens niuibus, pluuióue increuerit Austro.

Nos

Nos equidem, longo veluti qui semina luctu
In sicco seuere solo: si lætior alto
Demissus cœlo segetes eduxerit imber,
Exiliunt, lectosque ferunt sub tecta maniplos:
Sic nos hostili longus labor hauserat ora,
Qui duce nunc domino læti patria arua tenemus,
Perpetuosque illi laudum meditamur honores.

PARAPHRASIS

Psalmi CXXXIII. Ecce quam bonum, & quam iucundum. &c.

Quam pulchrum est vno vitam lare degere fratres.
Concordesque iugo mentes subiungere sancto
Suauis amicitiæ. qualem bene olentis amomi
Fusus Aroneis auram de criminibus afflat,
Incanumque senis mentum, sinuumque micantem
Percurrens auro limbum liquor: aut velut alti
Hermonis, Solymæue iugis bifrontibus arcis
Vuida pubescunt gemmanti gramina rore.
Tales illa pijs concordia spirat odores
Mentibus, ætherioque domus circumfluit almo
Vbere, & æterna florens in pace quiescit.

PARA-

PARAPHRASIS
Psalmi CXXXVII. Iuxta flumina Babilonis sedimus

SEdimus heù quondam riguos Babylonis ad amnes
Effusis mæsti lachrimis: gratissima nobis
Cum Sion, & patriæ subierunt mænia terræ.
Nablia tunc salices ramo suspensa virenti
Aurea sustinuere. tacebant hæc quoque nulla
Icta manu: sed enim genti gens inuida nostræ
Aduenies, nos quæ patrijs abduxerat oris
Crudelis medio repetebat carmina fletu.
Carmina, quæ quondam, Solymæ dum regna manerent,
Aedidimus læti domino. Vos talibus, inquit
Imbuite ora modis, & dulcia tangite fila.
Nosnè Dei cantus aliena dicere terra
Fas erit? aut nobis demens illuserit hostis?
Te te ego chara Sion memori sub mente recondam,
Dum manus ista soni fuerit memor. o mihi lingua
Hæreat obsessi penitus sub faucibus oris:
Si non tu diuûm atque hominũ pulcherrima sedes
Vna meæ semper referes exordia laudis,
Cum lætum aurato meditabor pectine carmen.
At tu, res hominum iusto qui lumine cernis
Rector, Idumæam (quæso) tibi subijce prolem
Mente recordanti tacitus. Nam luce sub illa

Qua Solymæ diris patuerunt hoſtibus arces,
Clamabat verbis ſocios hortata furentes:
Accenſas hûc ferte faces, hanc perdite ferro,
Hanc hodie ex imis conuellite ſedibus vrbem.
Tu quoque talis eris Babylon, te digna morantur
Excidia. ò fœlix in te qui funera ritu
Aediderit patrio, atque vltrices verterit iras.
Fœlix ille etiam, qui dulci è pectore matrum
Auulſos pedibus pueros raptabit, & iſdem
Ora ſub aduerſo ſparget lactentia ſaxo.

PARAPHRASIS
Pſalmi CXLVII. Laudate Dominum quoniam bonum eſt.

SI decet, o Solymi, rerum ſua carmina magno
Vos canere authori, ſummoque applaudere regi:
Si iuuat, & grates domino perſoluere pulchrum eſt:
Hunc celebrate pij, lapſam quibus optimus vrbem
Inſtaurat, quos ignotis regionibus actos
Rettulit in patriam, ſedemque coëgit in vnam.
Hic fractos animi firmat, durisque dolorum
Exſoluit pridem conſtrictos nexibus artus.
Hic certo numero cœli tot colligit ignes
Nomine quemque ciens. hic cunctas vnus in oras
Tendit inacceſſæ vires per ſingula mentis.

Hic mites ſolio attollit, ſolioque micanti
Deijcit, affligitque ſuper tellure ſuperbos.
Alternis igitur domino nunc dicite laudes,
Alternis domino citharas pulſate decoris
Ictibus, & gratos fidibus coniungite cantus.
Ille nigris cœlum ſubtexit nubibus: ille
Arenti pluuiam terræ parat; ille iubendo
Producit virides altis de montibus herbas,
Agricolisque, ferisque cibum, pecorique futuras.
Quin etiam quos ipſa patrum ſuper abiete coruos
Aëria nudos pietas, & cura reliquit:
Hos rerum genitor cæleſti nectare paſcit.
Non illum ácris equi robur, non militis arma
Aurea, non celeris delectat gloria currus:
At bonitas, & nuda fides, at corda timore
Plena ſui, cultusque iuuant. o proxima cœlo
Vrbs Solymum, & ſacris ingens domus ædita ſaxis
Nunc age ſolue tuo laudes dilecta Tonanti.
Ille tibi validas ſtridenti cardine portas
Suſtinet, & muro moles circumtegit æreo:
Omniaque in medio charis bona ſpondet alumnis.
Interea bellum totis de finibus arcet
Optatam referens ſecura per arua quietem,
Frumentoque tuos ſaturans alit vbere natos.
Cuius vt ex alto terras demiſſa ſub imas
Vox ruit, ad domini ſubito ſunt omnia nutum.
Qui niuium cœlo canentia vellera fundit,

Pallentesque

Pallentemque iacit cineris de more pruinam.
Aëre quimedio concretæ grandinis imbrem
Proijcit in terras. hominum quis frigora tanta
Pertulerit? coramque gelu durarit acuto?
Verum idem ſolo miteſcere frigora verbo
Quum iubet, in lymphas grando lapidoſa liqueſcit:
Aſſiransque ſolo riuos ciet aura tepentes.
Atque hæc magna Dei clemens opera omnia numen
Magna quidem, non ſumma tamen teſtantur: at illa
Abramidis ueteri data iura nepotibus æuo
Summum opus, & ſolis conceſſa eſt gratia nobis.

PARAPHRASIS
pſalmi CXLVIII. laudate dominum de cœlis, laudate etc.

Siderij proceres, diuûmque exercitus omnis,
Et quicunque dei volucres mandata per auras
Defertis, dominum cantu celebrate frequentes.
Hunc celebret Sol purpureo velatus amictu,
Lunaque, & obſcuris lucem mittentia terris
Aſtra canant, quæque ætherea vertigine raptæ
Dependent cœli ſubter laquearia lymphæ.
Ille quidem, cum nec teneri cunabula mundi
Vlla forent, dixit, ſolaque hæc voce creauit
Omnia. tunc illis leges, & fœdera rebus

Imposuit, nullos non duratura per annos.
Hunc ergo penitus patrem (quando omnia iussu
Emersere suo, atque auras inuecta tulere)
Frugiferens terra, & terræ qui lambitis orbem
Aëris, vndarumque sinus: vosque horrida Cetæ,
Quæ salis immensi lusu conuellitis vndas,
Collaudate Deum. laudet cita flamma sonoris
Fulminibus, densæque niues, & saxea grando:
Humentique solo sursum vapor actus: vbi illum
Cogit, & in nubes rerum sator induit atras.
Quique procellosos nigro ruit æquore fluctus
Iussa ferens, dominique excitus numine turbo.
Ipsi quin etiam montes, collesque virentes
Agmine pampineo, ipsa suis cum fructibus arbos
Omnis, & aëriæ (Libani decora aurea) cedri,
Ipsa canant armenta deum, fusique per agros
Lanigeri, fusi nemorum per pascua cœtus.
Assuetæque feræ siluis, & corpore quicquid
Serpit humi, laceramque trahit sub sentibus aluum.
Nec non quæ trepidas demulcent cantibus auras
Aut fontes iuxta liquidos, aut prata volantes
Huic numeros referant, & mille volumina vocum.
In primis solio reges, sceptroque superbi,
Vosque duces, populique pio sub rege quieti:
Et qui hominum vitas quærendo, ac crimina puri
Discitis, & scelerum eluitis contagia pœnis:
Virgineique chori, & primo queis vere inuenta

Ora nitens molli circum lanugine vestit,
Impubesque ætas, & curua falce senectæ
Iam iam stringendi, muliebriaque ordine sæcla
Vnum omnes celebrate Deum. namque vnius omnes
Terrarum, cœlique super decus eminet oras.
Precipue vestrum ante alios laudate parentem
(Sic decet) Isacides, quos ille ab origine prima
In propriam multo legit sibi numine gentem.
Gloria quorum etiam tanto duce nescia frangi
Aurea se rigidis in cœlum cornibus effert.

PARAPHRASIS
Psalmi XCIII. Dominus regnauit &c.

OMnia cum sæuos fundo iam vertere reges
Conantes celsa superûm pater arce videret:
Ipse suis manibus rerum suscepit habenas.
Præcinctusque caput radijs, fortique lacertos
Robore, eos telis, furijsque sequacibus hausit.
Hic Deus, hic ille est etenim Deus, aëre in ipso
Qui paribus terræ suspendit molibus orbem,
Immotumque loco fixit: quique æthera suprà
Constituit regni non vllo in tempore sedem.
Flumina qui circum fremitu grassata sonoro
Ingenti imperio, & riparum margine frænat:
Componitque atris feruens Aquilonibus æquor.

Sed

Sed licet ex imis conuulſus ſedibus orbis
Aeſtuet, atque ſuas ponant elementa figuras:
Non, quæcunque tamen Solymæ teſtata reliquit
Firma ſuper monimenta domus, pulchramque Sionē:
Temporis, aut rerum facies mutauerit vlla.

FINIS.

LECTORI.

Magna eius, qui hunc libellum formis exſcripſit, incuria factum eſt, ut neque pſalmorum in eo rectus numerus, neque pagellarū integer haberetur. quæ quidem incuria vt in iuſto opere ferēda non eſſet, ſic in tam exiguo, & in quo omnia pæne ſub vnum obtutum cadūt, leuiſſima cenſeri debet, neque dignā animaduerſione. Quæ vero ab eodē ſunt in ipſis carminibus vel commiſſa, vel omiſſa, ea ſic corrigi ac reſtitui debent.

pag. 15 vers. 12. abſiſtite. lege, ne inſiſtite.
pag. 17. vers. 9. cncta lege cuncta
pag. 29. inter vers. 13. & 14. repone
Succiſique arent in morem gramnis artus.
pag. 33. vers. 7. Iodanes. lege Iordanes.
pag. 36. vers. 1. refert leg referet.
pag. 37. vers. 2. criminibus. leg. crinibus.

ANTI BOS SICON

BIBLIOTHECA BODLEIANA